

hora tertia, minutis 15 à meridie. Quòd si tempus 53 minutorum dupli-  
co, habeo integram ecclipsis Solis durationem, unius horæ, 46 minut.

¶ Minuta ecclipsata inuenire.

**P**ONE filum centri super argumentum uerum Lunæ ad uisibilem coniunctionem in circulo argumenti Lunæ figuræ Solis, & moue Almuri primum ad æquatorem ecclipsis Solaris. Deinde pone idem filum super argumentum Solis ad coniunctionem uisibilem, uel ad uerissimam coniunctionem diebus nõ æquatis, & moue secundum Almuri in circulo argumenti Solis & Lunæ ad æquatorem punctorum ecclipsis Solis. Deinde cum filo prædicto pone Almuri primum super latitudinem Lunæ uisibilem in tropico Lunæ, & Almuri secundum, scilicet argumenti Solis, cadens inter puncta Solis, ostendit numerum, quem si à 12 subtraxeris remanebunt partes obscurationis. Filum in dato exemplo pono super argumentum Lunæ ad uisibilem & scilicet signa 4, gradus quasi 28, in circulo argumenti Lunæ, & primam margaritam pono ad intersectionem eius cū æquatore ecclipsis Solis. Iam idem filū pono super argumentum uerum Solis, quod est duorum signorum, 17 fermè graduū, & secundam margaritā dirigo ad æquatore punctorum ecclipsis Solis. Deniq; idem filum cum prima margarita duco super latitudinem Lunæ uisam in tropico Lunæ, & secunda inter puncta Solis indicat quasi 4 puncta, quæ à duodenario aufero, remanent 8 quasi partes defectus Solaris, & hæc quidem ad meridianum Viennensem Austriæ &c.

f THEORICA